

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Cothmann

Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Cothman, S.S. Theologiae Doctor & Professor, Ad Gratitudinem Deo Trinuni Pro Angelorum Custodia Persolvendam Et Ad Virtutes Angelicas, Pia Devotione Imitandas, Omnes & singulos Cives Academicos serio adhortatur

Rostochii: Kilius, 1644

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734814828>

Druck Freier  Zugang



R U Progr. 1644

- 1) Progr. contra Bacchanalia
- 2) Joach. Stokmann
- 3) Johannes Stokmann
- 4)
- 5) Johannes Reinstorff



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn734814828/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734814828/phys_0002)

DFG

RECTOR
Universitatis Rostochiensis
JOHANNES COTHMAN,
S. S. Theologiæ Doctor &
Professor,
Ad
GRATITUDINEM DEO TRINUNI

Pro
**ANGELO-
RUM CUSTODIA
PERSOLVENDAM
ET ADVIRTUTES ANGE-
LICAS, PIA DEVOTIONE
IMITANDAS,**

Omnes & singulos Cives Aca-
demicos seriò adhortatur.

•••(o)•••
ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILI, Academia Typographi.
Auno. M. DC. XLIV.

RECTOR
Universitatis Rostochiensis
JOHANNES COTHMAN,
S. S. Theol. D. & Professor.



Ecclesia sanguine Christi
acquisita, memor istius: *Opera
DEI revelare gloriosum*, hodie
anniversariam beneficiorum.
Trinunius DEI per Angelos,
Spirit⁹ istos purissimos, (quos
administratorios sacra scriptu-
ra vocat) Ecclesiae imprimis,
ac præcipue in eadem salvan-
dis præstitorum, grata mente recolit memoriam. Non
quidem sensu papistico, quasi festum aliquod omnium
Angelorum celebremus, sicuti in postillis Guillerini
Coloniæ Anno 1501. typis excusis dicitur, ita ut pecu-
liares preces quemadmodum in Hortulo animæ seculi
superioris Anno 1515. publicato, videre est, ad illos diri-
gamus. Qui error in Papatu tantas egit radices, ut in Li-
taniis publicis Michaëlem, Gabrielem, Raphaëlem,
omnesq; alios sanctos Angelos & Archangelos invoca-
verint. Et extat in cursu Mariæ virginis juxta statu-
tū Urbani Papæ 2. edito p. 95. hæc oratio ad Michaëlem
directa: Sancte Michaël subveni mihi apud altissimum
judicem, ut mihi peccatori donet remissionem omni-
um

um peccatorum. Exaudi mē clamantēm sancte Michaēl, atq; invocantem te, adjuva me majestatem Domini deprecantem, & interpellā pro me gemiscente, & fac me liberum ab omnibus peccatis. Insuper obsecro te, ut in novissimo die benigne suscipias animam meam in sinu tuo sanctissimo, & perducas eam in locum refrigerij, pacis & quietis. Item: DEUS da ut precibus Michaēlis vitam obtineamus æternam. Item: Angelice Spiritus quod mea non exigunt merita, tuis precibus obtine apud altissimum judicem. B. August. in Medit. cap. 40. hæc ascribitur oratio, quæ si verè illius est, temporis injuriæ illa ascribenda: Sancte Michaēl, sancte Gabriel, sancte Raphaēl, sancti chori Angelorum, Archangelorum &c. Vos rogare præsumo, ut pro me culpabili ipsi D E O supplicare dignemini. Et eò processerunt ante hac ἐπάλυγειν ἀνθρώπων ut formulæ juris-jurandi, ab iis qui administrationes suscipiunt præstandæ, hæc quoq; clausula fuerit, teste Novell 8. inserta: Juro per sanctos Archangulos Michaēlem & Gabrielem. Non inquam illo fine nos qui non humanas sectamur traditiones, sed purum & solum D E I verbum sequimur, festum Michaēlis celebramus. Primò ergò Angelorum creatori devotâ mente gratias agimus, quod nostri custodes Angelos creare voluit. Deinde piâ & castâ vita illos honoramus, ita ut in quovis angulo, habeamus reverentiam nostro Angelo, ne scil. id agamus, quod præsente alio homine honesto, fieri dedecus censemus. Semper itaq; ob oculos nobis ponimus. O homo noli peccare, Angelus adstat, & mali Angeli accusant. Hæc quando piè à nobis fiunt, non opus habemus peculiariter adorare Angelos, sunt enim jam

antè à D E O constituti ministri, emissi propter illos,
qui salutis æternæ, per solum Christum, non preces
Angelorum acquisitæ, hæredes erunt. Illo officio sua
sponte, animo lubenti, sine nostra adoratione fungun-
tur. Et Scriptura Sacra nullius alterius intercessoris
aut intercessionis mentionem facit, nisi solius, solius
inquam Christi. Ille enim virtute meriti sui, dicente
Apostolo pro nobis intercedit. Et si peccaverimus
advocatum habemus apud patrem non Angelos, sed Je-
sus Christum. Per illum habemus περὶ πάντων τὴν
fiduciam adeundi patrem. Hinc scriptura accessuris ad
D E U M, non Angelos monstrat, sed thronum gratiae
id est Christum indigitat, per illum namq; adimus
D E U M, adeo ut ἐδει, nemo veniat ad patrem εἰ μὴ
nisi per Christum. Quod si igitur per solum, solum in-
quam Christum nobis ad patrem patet aditus, non per
Angelos. Et hæc res tam manifesta est, ut ipse Bellar.
cauteriatam habens conscientiam cap. 17 Lib. de sanct. Bea-
titud. concedere necessum habeat. Sanctos quicquid à
D E O nobis impetrant, per Christum impetrare. Be-
ne ergò est Bellarmine, si Christum nobiscum fateris
intercessionis fontem & originem, nobis cum tuis vitio-
ne vertas, quod relictis impuris vestris rivulis, in scri-
ptura sacra nullibi ostensis, recta via ad ipsum fontem
Christum properemus, qui habet aquam salientem in-
vitam æternam. Ergò: Dulcius ex ipso fonte bibun-
tur aquæ Locus Apoc. 2. v. 3. veritatem hanc divinam
non impugnat, sermo enim ibidem non est de Angelis,
creatis, qui nunquam in scriptura introducuntur ut sa-
cerdotes. Hic autem Angelus, ut sacerdos stans ante
altare introducitur, proinde cum August. Hom. 6 in-

Apo

Apocalypsi per illum Angelum ipsum Dominum Jesum Christum intelligimus, qui dicente eodem August. habet thuribulum aureum, quod est corpus sanctum, ex quo DEUS odorem savitatis accepit & propitius factus est mundo, quia obtulit seipsum in odorem savitatis. Per Christum ergo Angelum increatum offerimus hostiam laudis DEO, non per Angelos creatos, illud enim nullo scripturæ fundamento solidè astruitur. Conatur equidem Bellar. veritatis soli tenebras offundere, dum adorationem Angelis exhibitam à piis & prudentibus hominibus, asseverat. Quippe Abrahamum & Lothum adorasse Angelos Gen. 18. v. 3. c. 19. v. 1. sed ipse Bellar. parum roboris hisce locis tribuit, dum fateatur responderi posse, Abrahamum & Lothum initio cum eos adorarent, non cognovisse Angelos sed homines putasse, & civiliter tantum adorasse. Proinde relictis istis dictis, loca producit sicuti putat clariora Num. 22. v. 31. Jos. 5. v. 14. Sed nec illa loca probant, quod est controversum. Quæritur inter nos & Bellar. ejusq; complices. An Angeli creati sint adorandi. Probat id Bellar. duobus scripturæ locis, quæ agunt non de Angelis creatis, de quibus tamen unicè quæstio est, sed Angelo increato, ipso scil. Christo. Primum enim locum de nullo alio nisi solo Christo agere, præter patrum nonnullorū consensum, ipse context⁹ luculenter arguit. Angelus enim qui hic adoratus legitur, in prima persona affirmat, viam Bileam sibi esse contrariam. Constat verò ex v. 9 & 12. DEUM de se affirmare, displicere sibi, Bileam legatos Moabitarum comitari ac sequi. Hinc v. 22. DEUS iratus esse affirmatur quod Bileam abiret. Si quis regerat Angelum creatum hæc dicere

¶ 3

in

in persona D E I , ille sciat nec scripturæ, nec quotidianiæ experientiæ usum esse , ut legatus utatur primâ persona, cum legatione aliquâ fungitur. Gabriel à D E O ad Mariam semper virginem missus , non utitur prima persona , sed inter se ac legantem accurate distinguit.. Quotiescunq; igitur Angelus aliquis in prima persona de se loquitur , sibiq; opera tribuit divina soli D E O competentia, toties non creatus sed increatus, ipse vid. Christus intelligitur. Neq; insolens est Christum vocari in sacris Angelum, sicuti alibi ex professo ostenditur. Secundus locus ejusdem est farinæ, vel ipso Masiō pontificio teste. Dicitur enim expressè Dominus I o h u x , non conservus , imò tribuitur ipsi nomen J e h o v a soli D E O competens. Et nunquam in scripturâ legimus ob Angeli creati præsentiam locum aliquem ita sanctificari, ut pedes ad reverentiam indicandam sint denudandi. De DEI ipsius præsentia idem factum historia testatur Mosis, cui D E U S in ardenti apparuit rubro. Frustra ergo à Bellar. loca hæc sunt adducta, qui si accuratius, Angelos adorationis cultum respuere, perpendisset, nunquam Angelos esse adorandos asseruisse. Johannes enim extra se quasi raptus, quid ageret nesciens, cum Angelum adorare vellet responsum ejusdem tulit: ne feceris , conservus tuus sum & fratum tuorum habentium testimonium Jesu: D E U M adora. Si ergo Angeli conservi nostri, nolunt adorari ab eorum adoratione rectè abstinetur. Cùm illorum voluntas adorationem repudians, voluntati divinæ planè sit conformis. Respondet Bellar. cur nos (Jesuitæ , papistæ) repræhendimur qui facimus, quod Johannes fecit: num melius Johanne norunt Lutherani, sint ne
Angelii

Angeli adorandi? utiq; melius Johanne confernato &
præ Angeli fulgore, tetrore correpto, nos verbo DEI
edocti novimus Angelos non esse adorandos, quia ipsi
Angeli omnium optimi voluntatis divinæ interpretes
adorationem ejusmodi recusant. Regerit Jesuita &
Cardinalis Bellar. Angelum adorationem prohibuisse
ob reverentiam humanitatis Christi. Nam ante Chri-
sti adventum Angelos se ab hominibus adorari passos
esse. Sed posteaquam DEUS homo factus est, & omnes
Angeli hominem in Christo adorare cœperunt, nolue-
runt ipsi ab hominibus adorari, & præcipue ab Aposto-
lis. Sed recordetur Jesuita, nos non esse credulum vul-
gus, sed manus nostras in religionis negotio oculatas
esse, & credere solum quod in scripturâ revelatum. Pro-
inde duo isti medij termini Angelici, adorationem pro-
hibentes. 1. conservus tuus sum. 2. DEUM adora, sem-
per & ubiq; obtinent. Major enim sive ante sive post
Christi incarnationē verissima & perpetua veritatis: est
conservus noster non est adorandus. Angeli (sive ante
sive post incarnationem) sunt conservi nostri. Ergo non
sunt adorandi. Sed regerit Jesuita: Johannes non fuit
indocilis aut oblivious, quia denuo voluit adorare,
Angelum. Itaq; recte fecit adorando & Angelus recte
fecit recusando. Respondeo pios in animi perturba-
tione, imprimis in visionibus Angelicis, hominem mirū
in modū torrentibus, vide Dan. 10. v. 8. esse quandoq; obli-
viosos, & in dociles, num mirum aut novum? num justus
in die cadit septies? & num frater in die peccat septies?
Moses qui non fuit, ut Bellar de Johanne ait, oblivious,
bis tamen peccavit in DEUM dissidentiâ. Unde factū
est, quod terram promissam quidem eminus viderit, ied
ipse eam non intravit. Ita Johannes hoc in loco bis ad

cunz

eundem lapidem, utpote consternatus, impegit, Angelū contra DEI voluntatem adorare volens. Angelus verò rectissimè, utpote conservus Johannis non ejusdem Dominus, præviā divinā voluntate adorationem illam improbabit ac recusavit. Invictum ergò contra portas inferoru manet: Angelos nostros conservos non esse, à nobis adorandos. Si quis ergò Christianorum nomen profitebatur Angelis rem gratam præstare satagit, sincerae dilectioni, pietati, sobrietati, aliisq; virtutibus vero Christiano competentibus, eumq; adamantis instar exornantibus, incumbat. Vos imprimis studiosi juvenes in quovis angulo habete reverentiam vestro Angelo, ne in nationalibus vestris conventibus, quos sub specie honestæ amicitiae celebratis, popularibus vestris injuriam sive realem sive verbalem inferatis. Aut juniores accedentes emungatis. Tempus vestrū, cuius jactura est in aestimabilis, non turpi otio, non Diabolicis helluationibus, & clamoribus bovinis, non chartarum lusu, non herbæ Nicotianæ fumigatione & abusu, transigatis. Semper ergò in conspectu sit versiculus.

Esto memor patriis cur hue sis missus ab oris

Moribus ut redeas cultus ex arte domum.

Nec doctrinæ solum, sed & pietati imprimis, tanquam solidæ eruditionis fundamento, sedulè incubite. Nam omnis doctrina est demum pietate venenum. Quod si feceritis tum D E U M propitium, Angelos vestros conservos sua sponte sine aliquā adoratione vobis inservientes habebitis. P. P. Rostochij sub sigillo Reatoratus ipso Michaëlis die

Anno 1644.

6(0)6



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn734814828/phys_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734814828/phys_0011)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn734814828/phys_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734814828/phys_0012)


DFG

Ferris per urbem pipu
Heic disce parvo vieti
Odiisse luxum. Vivit

Heic famæ hirudo
Hic Cres, & ore mella
Fel corde condit, ac Si
Decipere gaudet nesciu
Innoxiumq; fraudis &
Mentem referre discat
Fraudum involucra pe
Et pejus angue. regiam
Nunc ipsa terris Veritu

Qui tumidus arte
Scientiasque, ne nimis
Pecudes quod inter vol
Legis peritos error inf
Ergo imperitus nemo c
Audis, ut ipse, qui DE
Balbutit infans. Cæter
Pecudum magistros, car
Sufficere docta debet i
Sed ista, quæ nos per fid

Ad te redimus, ro
A quo, perenni ut fon
Dum tu Redemtor nasc
Et imperatrix Roma ge
Altam quietem, bella p
Sed nos acerba fata Ge
O statue nostris denique
Fine inque cladi: tutu
Ferrum omne teneat in



ne.
vibex boni,
suo,
oli,
am.
rreat,
n.
æco sui
DEUS,
oi.
est,
habes
mplex genus.
acit.
atris,
iunt bona,
caput
nt.
nt.
nodum,
alat,
labor.

Enfesque